

1773, 466

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
ALIENATIONE
BONORVM VXORIORVM
PARTIM VALIDA PARTIM INVALIDA
EX IVRE PRAECIPVE FRANCOVRTANO

QVAM
CONSENTIENTE
INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE
SVB PRAESIDIO

D. IO. CHRISTOPH. KOCH
SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILIIIS INTIMIS
ACADEMIAE CANCELLARIO ANTECESSOR. IVR. PRIM.
ET COM. PAL. CAES.

PRO
L I C E N T I A


SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CAPESSENDI

DIE OCTOBR. CIOIOCLXXIII.
H. L. Q. C.
PVBLICO PROCERVVM ACADEMIAE EXAMINI
SVBMITTIT

1773. 466

A V C T O R
IO. PHILIPPVS ELISA FRESSENIUS
MOENO - FRANCOVRTENSIS.

G I E S S A E
apud IO. IACOB. BRAVN, Acad. Typogr.
recusa 1784.



LIBER

PER

SA

DO

P.



SACRI ROMANI IMPERII
LIBERÆ REIPUBLICÆ MOENO - FRANCOFVRTENSIS
SENATVI AMPLISSIMO

VIRIS

PERILLVSTRI BV S MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS
PRAENOBILISSIMIS CONSVLTISSIMIS
PRVDENTISSIMIS

DOMINIS

PRAETORI
CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS

ET

NOVEM EX IISDEM
SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS
CONSILIARIIS ACTVALIBVS

DOMINIS SVIS FAVTORIBVS
PATRONIS ET MAECENATIBVS

SVMME COLENDIS

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM
CVM PERPETVAE FELICITATIS VOTO
DAT DEDICAT CONSECRAT

TANTIS NOMINIBVS

OBSEQUESTISSIMVS

AVCTOR.






Diuisio bonorum vxoriorum secundum Romano & Patria Iura.

§. I.

Deficiente secundum ius ciuile acquæstu coniugali (Lyncker Diff. de acqui. coniugali §. 5. & ibi alleg. LL. & Auth.) prohibitaque donatione inter virum & vxorem (T. T. ff. de donat. inter vir. & vxor.) reuera apud Romanos bona vxoris in illatis tantum consistebant, quorum qualitas vel *dotalis* vel *paraphernalis* vel *receptitia* erat. Patria vero iura (Refor. Part. 5. Tit. 5.) aliud insuper exhibent bonorum genus, *communis* nimirum *bona*, quæ qualitatem hancce vel præuia conventionione expressa induunt (Reform. loc. cit. §. 7.) vel ipso iure talia sunt, si constante matrimonio acquisita. (b. Korthold. Diff. de pact. dot. secund. ius com. & statuta Francofurt. S. III. §. 24.) Plures addere diuisiones superfluum iudico, quia omnes species ad enumeratas referri possunt. (Stryk Diff. de iur. marit.

A

in



in bon. vx. c. 1. nr. 24.) Operae autem pretium erit, iuuefigare bona ipsa, quia si de potestate mariti deferitur, certum esse debet, vbi eam exercere possit. (Mev. P. 2 D. 245. nr. 3.)

Illatio ac qualitas bonorum probanda.

§. II. Vt autem potestas ac ius mariti circa illata rite determinari possit, ante omnia inquirendum, an bona sint illata? (Gemeiner Bescheid Ampliff. Senat. d. 24 Jun. 1734) quo in casu illatio (L. 1. C. de dot. caut. non num.) vel certo respectu oblatio tantum (Nou. 97. c. 2.) probanda. Quum vero bona quaedam singulari gaudeant priuilegio, de qualitate praeterea bonorum constare debet. Voluntas igitur inspicienda contrahentium, quae, vt faciliori negotio probari possit, litteris mandari solebat. Conficiebantur eam ob causam (L. 3. C. de dot. caut. non num. Reform. P. 3. Tit. 2. §. 1.) ac insinuabantur plerumque (L. 20. §. 1. C. de don. ant. nupt.) instrumenta dotalia, ex quorum tenore (L. 29. C. de iur. dot.) qualitas bonorum probatur. Attamen vero instrumenta dotalia scripta nunquam absolute necessaria, siue de essentia fuerunt (L. vn. de R. V. A. Reform. part. 3. Tit. 7. §. 14. Solmisches Landrecht part. 2. Tit. 18. §. 4.) Sed sufficebat, si probari poterat, quid conuentum. (L. 12. ff. de testibus Carpz. Def. 8. nr. 5. Mynsing conf. 14.) Voluntas igitur doceri, & qualitas dotalis, quam praetendit vxor, ab ea probari debet. (Solmisch. Landrecht, d. 1. Henricus Brockes Diff. de valida illatorum
con-




confessione a marito facta §. 6.) Necessario tamen ad determinandam hancce qualitatem non requiruntur pacta dotalia sed sufficit si in confessione mentio fiat, quod haec bona tanquam dotalia cessa sint.

An qualitas bonorum ex tacita voluntate contrahentium praesumatur?

§. III. Verum enim vero dubium adhuc est: an voluntas haec contrahentium ex meris factis, nulla existente conventionione expressa, probari possit? Sunt qui plane negant (A. Faber in Cod. L. 5. tit. 9. Def. 13. Berlich P. 1. Concl. 65. n. 69.) eorum tamen sententia nimis dura ac genio Saeculi minus accommodata est, nec ex Reformatione (Part. 3. tit. 1. §. 3.) quae lex magis enunciatiua quam dispositiua est, probatur. Nostri enim temporibus, nec de dotalium pactorum confessione, nec de probatione dotis sollicitus, quilibet tamen necessitati se obtemperasse ac dotem dedisse credit, qui filiam elocat. (Lauterbach. Colleg. theoret. pract. Tit. de iur. dot. §. 1.) Voluntas igitur, etsi obscure declarata, inspicienda, negligentiae succurrendum est, ac praesumptiones, nisi omnem omnino aequitatem contra tenorem legis (L. 8. C. de Iudic.) exuere velimus, admittere debemus: quam tamen sententiam, consensu plurimorum Doctorum (Leyser spec. 320. nr. 10. Dni Orth. Anmerk. ad Reform. P. 2. T. 1. §. 10. p. 92. nec non ad P. 2. T. 20. §. 4. & priori loco alleg. Carpz. Mev. & Schilter, Consil. Tubing Tit. 1. C. 27. n. 8.) corroboratam, eo tantum in casu concedo,





cedo, quo lex in contrarium allegari nequit, & facta adeo concludentia adfunt, vt alia praesumptio capi non possit (Schaumb. Comp. Iur. ff. Tit. de pact. §. 6. Boehmer Comp. ff. Tit. de pact. §. 13.)

Fontes praesumptionum.

§. IV. Priusquam tamen me ad praesumptionum explicationem accingo, praemonendum esse necessarium duco: quod praesumptiones illae, vel ex tempore illationis, vel ex qualitate personarum dotem constituentium, vel ex aliis factis descendant. Exinde nec me monente sequitur, vt eo fortior sit probatio, quo plures maioresque concurrunt praesumptiones. Sic interest: an ipsae vxores (L. 1. C. de dot. prom. L. 4. L. 18. L. 28. & passim C. de Iur. dot.) vel alii eius nomine (L. vn. §. 13. C. de rei vx. act.) vel tertius seu extraneus (L. 33. ff. de Iur. dot. L. 22. pr. ff. solut. matr.) dotem constituant. Alii enim ex necessitate, veluti in dote profectitia, alii vero ex libera voluntate illam constituunt, vt in dote aduentitia (Boehmer Comp. ff. Tit. de Iur. dot. §. 2. sqq.). Quo magis itaque quis ad dotem constituendam obligatus, eo facilius atque fortius in iam constitutis talibus bonis viget praesumptio. E contrario, si quis non necessitate obstrictus est, plurima existunt facta, quae nullo modo sunt concludentia. Quae ergo reiiciendae quaeue admittendae sint praesumptiones, paucis disquirere liceat.

Prae-



*Praesumptio I.*


§. V. Sunt, qui matrimonium probari volunt, atque probato hoc, dotem probatam esse, contendunt. Apud priscos Romanos hoc valuisse, certum est. Hi enim inquirebant: an vxor in manus mariti mediante vel Confarreatione vel Coemtione vel Vsu conuenerat. (Heinecc. Antiquit. ad L. 1. Tit. 10. §. 1.) Quo probato omnia bona vxoris dotalia fuere: (Cicero in Topic. c. 4.) nam solis dotibus seiungebant sese matronae a concubinis. (Heinecc. all. ad L. 2. T. 2. §. 3. l.) Nec defunt nostris temporibus, qui hancce defendant opinionem. (Mev. P. 6. D. 66. n. 2. & qui alleg. a Leyser spec. 302. m. 4.) Hanc vero sententiam Iuri non conuenire probatur ex L. 11. Cod. solut. matrim. vbi vxor bona habens expresse indotata appellatur. (vid. Brunnem. ad L. all.) Plane quoque thesis haec patrio iuri contraria. Nam distinctio non tantum inter bona ab initio illata, & illa, quae per hereditatem adueniunt, plurimis in locis inuenitur, (Gemeiner Bescheid Ampliff. Senat. d. 24. Jun. 1734.) sed alienatio quoque eorum permittitur: (Reform. Part. 3. tit. 6. §. 4.) quare dotalis qualitas haud argui potest, quia detractis substantialibus, res ipsa corruiat. (Mev. Part. 1. D. 166. nr. 3.)

Praesumptio II.

§. VI. Alii ex sola illatione dotalem qualitatem praesumi volunt, sed & haec opinio Legibus (L. 9. §. 3. ff. de Iur. dot.) minime conuenit; quum enim

B

aequa-



aequalitas dotis ac donationis propter nuptias necessario requireretur, (Nou. 97. c. 1.) certe bona superabundantia vxoris, etsi illata, non potuerant esse dotalia. Si enim bona omnia illata iam per se essent dotalia, augmentatio locum habere non posset, (Reform. P. 3. T. 2. §. 6.) quia superfluum foret, qualitatem addere rei, quam iam habet. Porro nec in fauorem creditorum Lex augmentationem dotis prohibens (Nou. 97. c. 2.) ferri potuisset, si factum solum illationis dotalem qualitatem efficeret. Patria quoque Iura hanc praesumptionem non admittunt, nam contrarium ex Reformatione (Part. III. Tit. I. §. 3. Part. III. Tit. 7. §. 13. & in specie ex Part. V. Tit. 8. §. 15.) probatur. Denique opus non fuisset, vt Desponsatis determinatio iniungeretur, si sola traditio hoc efficeret. Reform. P. III. T. II. §. 2.

Praesumptio III.

§. VII. Ex tempore illationis alia praesumptio defumitur. Leyserus nempe (spec. 302. med. 4.) cum plurimis aliis (Schilter Ex. ad ff. XXXVI. §. 80. Berger de discrim. bon. vxor. §. 6. sqq. & in Oecon. Iur. L. 1. T. III. §. 10. Estor diss. de apparatu & instructu nupt. §. 65. Pufendorf. Tom. I. Obs. 206. §. 14. Hartmann Piffor Obs. 46. nr. 2.) omnia bona ab initio matrimonii illata, dotalia esse contendit. Fateor lubenter, dotem in regula ab initio constitui, (L. 7. §. 3. ff. de Iur. dot. Arg. L. 11. Cod. solut. matr.) quod & patrio Iuri consentaneum (Reform. P. 3. Tit. 2. §. 8.


§. 8. ibi: Zu Zeiten der ehelichen Bestattung. Solmisch. Landrecht. P. 2. Tit. 18. §. 4. ibi: wie es auf den Ehlichstag gemacht und abgeredet worden) nam vbique dicitur: zugebracht, quod oponitur in Decret. commun. Amplif. Senatus de 24. Jun. 1734. bonis illis, quae constante matrimonio deuoluuntur. Etsi enim in L. 20. pr. C. de donat. ant. nupt. expresse dicatur, etiam constante matrimonio dotem posse constitui, tamen haec lex regulam non sinit, sed potius exceptionem regulam firmantem praebet. Verum quoque est, quae constante matrimonio per hereditatem deuoluuntur, bona alienabilia esse, (Reform. P. 3. Tit. 6. §. 2. iuncta P. 5. Tir. 5. §. 4.) ideoque paraphernalibus plane accensenda. (Conf. Tub. Tit. I. C. 27. nr. 17.) Oritur quidem exinde praesumptio: (I. H. Boehmer Diss. de Collis. praesumpt. cap. 2. §. 7. & 13.) Quum vero alia quoque bona ab initio matrimonii inferri possint, (L. 9. §. 3. ff. de Iur. dot.) ac certis in casibus debeant, (Reform. Part. 5. T. 8. §. 15. ibi: neben sonst gebührender Aussteuer Demselben seinen gebührenden Antheil ausantworten) tam fortis non est, vt a probatione liberare possit.

Praesumptio IV.


§. VIII. Progredior nunc ad praesumptiones, quae ex qualitate personarum dotem constituentium fluunt. Quorum obligatio vel in necessitate vel in libera voluntate §. IV, fundata est. Ex necessitate obstricti sunt, parentes primi & secundi gradus (L. 19.

B 2


ff.



ff. d. R. N. L. fin. Cod. de dot. prom. L. 6. de Collat. L. 69. §. 4. de Iur. dot.) adeo, vt officio iudicis compelli possint. (Carpz. I. F. P. 2. C. 42. def. 12. Gail. L. 2. Obs. 95. aliique Commentat. ad tit. de iur. dot.) Ad illos, qui ex libera voluntate dotem constituunt, matrem, fratres, extraneos aliosue dotem constituentes, secundum Ius commune, refero. Patrium Ius, a Iure communi alias non recedens, aequalem obligationem tam patri quam matri imposuit, (Reform. P. 3. T. 8. §. 11. Conclus. ampliff. Senat. d. 15. Sept. 1733. §. 4. & ibi: und die Eltern zu einer gemäßen Aussteuerung angehalten wurden) quin imo in specie ad matrem extensam inuenio hanc obligationem. (Reform. P. 5. T. 8. §. 15.) Quum autem quilibet censeatur obseruare officia Iure Naturae vel ciuili ei incumbentia, (Canz. tr. de probabilitate Iurid. c. 2. §. 69.) certe praesumendum: parentes praecipue quia ex officio obligati sunt, dotis nomine dedisse bona. Quis igitur praesumptionem non admittat, si constitutio dotis indeterminata iniungitur? Non praetereundum est hic argumentum, quod ex Patriis Statutis desumi potest. Sancitur nempe expresse (Reform. Part. 6. Tit. 5. §. 1.) quod ea bona, quae a parentibus data sint, conferri debeant. Quum ibi dos, praeter illam autem & alia quoque nominantur, quae pactis dotalibus inseri non solent; certe praetermissa voce paraphernalium, quae alias in Patrio Iure non incognita (Reform. P. 3. T. 7. §. 13. & 18.) concludi debet, a parentibus data, dotis tan-



tantum nomine data esse, quum liberi cum dote contenti esse possint. (Boehmer Comp. ff. Tit. de dot. collat. §. 1. in fin. Reform. P. 6. Tit. 5. §. 7.) Sane si omnia, ab initio matrimonii a parentibus accepta, non essent dos, vox, quae ibi inuenitur: *Der em pfangene Zugift*, haud necessaria fuisset. Hancce tamen praesumptionem tunc tantum locum habere puto: a) Si bona ab initio matrimonii inferuntur. Ideo quoque pecunia parata, quae constante iam matrimonio datur, nisi alia indicia adsint, mutui magis quam dotis naturam prae se fert, quia plerumque sub vsuris datur. b) Si foemina propria bona non habet, in quibus parentibus temporarius saltem competit vsusfructus: nam & haec, quum necessario & ultra dotem restituenda sint, etsi a patre matreue proueniant, dotis nomine data non censentur. (Reform. P. 5. T. 8. §. 15.) c) Si nullum factum interuenit, quod obligationem parentum perimat. Nam quum praesumptio ex officio desumatur, cessante fundamento, illud quoque, quod superstructum est, cessare debet. In iis igitur casibus, vbi remissa parentibus dotis constitutio, (Reform. P. 3. T. 8. §. 11. Conclus. Amplif. Senat. d. 15. Sept. 1733. §. 5.) nec qualitas haec praesumitur. Ita quoque nec in liberis naturalibus ratione patris haec praesumptio locum inuenit, (Conf. Tub. Tit. 1. Conf. 42. Reform. P. 5. T. 1. §. 13.) bene tamen ratione matris, quia liberi tunc instar legitimorum habentur, & mater filiae naturali, vt faciliorem conditionem nubendi accipiat,



piat, dotis nomine dedisse videtur. Nec si filiae inuitis parentibus nubant, (Trentler. Vol. 2. Disp. 7. th. 2. tit. 9. Reform. P. 3. T. 8. §. 11.) quod autem ad eum casum extendendum non esse puto, si pater in matrimonium filiae suae consentire detrectat, nec tamen iustam dissensus causam allegare potest, & Consistorium patris consensum supplet; nam cum & tunc filiam dotare teneatur, (Conclus. Amplif. Sen. d. 15. Septembr. 1733. §. 4. in fin.) dota a patre, dotalia esse praesumuntur. Quum igitur sola illatio, quae ab initio matrimonii facta est, non sufficiat, (§. VII.) necessario sequitur, ut bona omnia, quae virgo parentibus orbata nubens, marito infert, haud dotalia praesumantur, etsi ab initio illata sint. Multo minus hocce concedo, si vidua, heres ex testamento prioris mariti, secundas nuptias celebrat. (Arg. L. 30. ff. de Iur. dot.) ubi vxor, quae tamen extra dotem alia bona habere potest, (L. 11. C. sol. matr.) eandem dotem, quam in prius matrimonium intulit, secundo marito attulisse praesumitur (Brunnem. ad Auth. sed quamuis C. d. R. V. A. Schroeter diss. de dote in secundo matrimonio tacite renouata.

Praesumptio V.

§. IX. Aliam adhuc sisto praesumptionem, quae ex dominio marito in bona vxoris concessio fuit. (Conf. Tub. P. 1. C. 27. nr. 9. seqq.) Aliquando nempe cessio in personam mariti dirigitur, & tunc ipse constituitur dominus. Quum autem maritus in nul-

lis


lis bonis vxoris, si dotem excipis, dominium habeat; certe existentibus omnibus substantialibus dotis, dotem ipsam existere non dubitandum. E contra si in personam vxoris dirigitur cessio, tum utique speciem paraphernalium prae se ferunt talia bona, nisi expressum sit, quod tanquam dotalia sint data, de quo supra §. II. in fin. actum.

*Differentia quoad effectum inter dotem expresse constitutam
& praesumptam.*

§. X. Ante Omnia hic annotari meretur, quod dos secundum Patria Iura minui non possit. (Reform. P. 3. T. 2. §. 6.) Quum tamen ibi expresse dicatur, *voriger Eheverschreibung zuwider*, ex eo inducitur, quod nullis existentibus pactis dotalibus, minutio locum inueniat. Nam lex ultra casum expressum non extendenda, (L. 32. de pact. L. 2. §. 3. ad Sct. Vellei. L. 6. §. 2. de Iur. patron.) & statuta in iis, quae expresse determinata non sunt, a cummuni Iure, quod generaliter minutionem dotis concedit, (L. 15. ff. de fund. dot.) interpretationem accipiunt. Praeterea dos praesumpta locum non habet, vbi lex conuentionem expressam requirit, & dehinc vbi praesumptio tantum adest, ibi per factum contrariam voluntatem declarans, tollitur.

*Deficiente expressa constitutione dotis & cessantibus praesumptionibus,
quae bona in dubio praesumenda?*

§. XI. Si autem nullae adsint praesumptiones & expressa dotis constitutio deficiat, tum quoque ad vnam alte-



alteram speciem bona esse referenda, nemo non videt. Generalis hic regula obseruanda: quod quaeuis bona vel qualitatem retineant, vel tantum ab qualitate tam minime, quam fieri potest, recedant, quia quaeuis mutatio facti est, ideoque praesumi haud possit. (L. 25. ff. de prob.) Vxor igitur, quae vel plenius dominium, vel maius ius, quam maritus ante nuptias in bona habuit, maiorem etiam potestatem retinuisse censenda est, nam in dubio non praesumitur, quod vxor omni iure & dominio se abdicauerit. (L. 25. pr. ff. de probat. Consil. Argent. Vol. II. Conf. 7. nr. 8.) Quam tamen voluntas vxoris praesumatur, quod ad ferenda onera matrimonii omnia intulerit, exinde facile constabit, in dubio bona censei paraphernalia. Eo igitur in casu, vbi memoratae praesumptiones cessant, sententiae, calculo praestantissimorum Iureconsultorum approbatae, Dni D. Orth. Anmerck. ad Ref. P. 2. T. 1. §. 10. pag. 91. sqq. Conf. Altorf. T. 2. C. 73. nr. 3. Lauterb. Consil. Tub. Vol. II. Conf. 15. n. 2. sqq. Carpz. P. I. C. 28. D. 87. & P. 2. C. 16. D. 11. nr. 2. *Sammlung merckwürd. Rechtshandel* P. 6. pag. 87. sqq. & ibi pag. 115. alleg. Wernher., Wesenbec Conf. 25. nr. 1. Gail. Lib. 2. Obs. 82. Hartmann Pistor Obs. 46. Mascard de prob. Concl. 211. n. 1. sqq.) & argumentis fortissimis firmatae, (vid. Mencken diff. de reb. extant. vxor. th. 33.) accedere nullus dubito. Dissentit cum aliis Meister in diff. de bonis vxoris ex romani iuris praesumptione non paraphernalibus sed dotalibus. Goett. 1769.

Quae




Quae bona secundum Patria Iura in dubio praesumantur!

§. XII. Secundum Patria Iura vxori in bonis suis dominium adeo plenum non conceditur, vt absque consensui viri alienare possit. (Reform. P. 3. Tit. 6. §. 2. & 4.) Receptitiorum igitur qualitas haud praesumenda. Communia facta fuisse bona, quae antea propria fuere, itidem non conceditur, nisi voluntas adsit expressa. Reform. P. 5. Tit. 5. §. 7.) Etsi enim facile concedam, quod coniuges in prouinciis & vrbibus, vbi communio bonorum vniuersalis obtinet, matrimonium sine pactis dotalibus ineuntes, communioni bonorum se subiecisse praesumantur, (Berg. Resol. ad tit. ff. de I. D. ab init. Selchov. Elem. Iur. Germ. §. 470.) generalis tamen haec regula, hic, vbi communio bonorum in tantum, non autem in totum viget, locum sibi vindicare non potest. Nam Reformatio Francofurtensis hoc in casu satis clara, ad efficiendam hanc qualitatem requirit consensum. Quum translatio partialis dominii in maritum haud praesumatur, eo minus vberiore potestatem, vti in dote fit, concessam esse marito, sine probatione credendum. Sequitur exinde, vt nulla quoque existat pro dote praesumptio generalis. Alia apud Illustrem Dn. Orthium (*Samm. merckwür. Rechts / Handel* P. 6. p. 114.) inueniuntur argumenta. Prohibita denique omni minutione dotis; (§. X.) haud concedere possum, vxorem dotem constituere voluisse, sed potius in dubio paraphernalia praesumenda sunt.

An res pecunia dotali entra fiat dotalis!

§. XIII. Antequam ad Thematis explicationem
C
ipsam



ipsam progrediar, aliam adhuc quaestionem tangam, num scilicet res pecunia dotali emta fiat dotalis? Leges Romanas hic inter se pugnare, nullo modo negari potest; nam Lex 12. C. de Iur. dot. plane contraria L. 26. L. 27. L. 54. ff. de Iur. dot. L. 22. §. fin. solut. matr., nec conciliationes, quae apud Stryk (diff. de iur. mar. in bon. vxor. c. 2. nr. 56. & all.) inveniuntur, admittere possum. Qua de causa in varias abeunt sententias Doctores. Negatiuum tuentur Lauterb. Vol. 3. C. 263. nr. 17. Schoepf. Decif. 91. Leyferus spec. 304. m. 4. Berg. Oecon. Iur. L. 1. Tit. 3. §. 10. not. 16. Sed secundum ius patrium affirmatiua sententia verior est, ob §. 4. tit. 5. P. 5. coll. §. 9. tit. 2. P. 3. An vero ex re mobili efficiatur res dotalis immobilis? plane diuersa est quaestio. Sententia Iuris ciuilibus affirmatiua in L. 27 ff. de Iur. dot. fundata, in patria mea haud approbate est. Ibi enim per Decretum commune typis impressum d. 24. Iun. 1734. clarissimis verbis sancitum, vt qualitas bonorum mobiliaris vel immobilis ex tempore illationis diiudicari debeat.


Ius mariti circa illata & quae ad hoc determinandum requiruntur!

§. XIV. His itaque praemissis, si de qualitate bonorum vxoriorum vel ex expressa constitutione dotis, vel ex praesumptionibus constat, ius mariti circa illa eo facilius determinari potest. Ad hunc vero effectum matrimonium & quidem consummatum (Reform. P. 3. Tit. 3. §. 5.) requiritur. Patet exinde,
sponso



sponso in res sponsae, etsi huic priuilegia dotis in totum denegari non possint L. 7. de R. N. L. 74. ff. de Iur. dot. L. 17. de reb. auct. iud. Rhetius Disputat. de virginibus Cap. 6. §. 7. Stryk Diss. de Iur. vxor. in bon. marit. Cap. 3. nr. 18.) nullam omnino competere potestatem. Consummato autem ex post matrimonio ratione rerum ante nuptias a sponso alienatarum vera priuilegia dotis retrotrahi, indubitatum est. (L. 4. ff. de fund. dot.) Matrimonia quoque illa, quae contra Leges ineuntur, nullos plane producent effectus. (§. 12. I. de Nupt. vid. Conclus. Ampliff. Senat. d. 15. Septembr. 1733. & ibi verba: solche Handlungen an sich null, nichtig, kraftlos und von keiner Wirkung seye.) Quo tamen non pertinet matrimonium putatiuum. Hoc enim iuribus veri matrimonii tamdiu gaudet, donec dirimatur (Stryk Diss. de iure putatiuo Cap. II. §. 25. Georg. Ludou. Boehmer Princip. Iur. Canon. §. 407. Hertius de matrim. putatiuo §. 21.) & quum liberi ex illo nati instar legitimorum sint, Perill, Dn. Praeses in Tract. de Success. ab Intest. §. 26.) & itaque aequae ac in vero matrimonio onera matrimonialia ferri debeant, porro coniux superstes putatiuus, modo ad mortem vsque durauerit matrimonium ad hereditatem vocetur, (Laudat. tract. Perill. Dni Kochii de Success. ab Intest. §. 108.) quin imo dotis lucrum pacto vel statuto marito cedat, (Hertius cit. Diss. §. XXVII.) consequitur, vt dotis constitutio non solum valeat, sed & marito, constante matrimonio omne ius cum omni effectu, circa illam competat.





Potestas mariti secundum Ius Romanum.


§. XV. Secundum Iura Romana potestas mariti pro diuersitate bonorum differebat. Receptitorum dominium plenissimum manebat apud vxorem, adeo, vt maritus alienationem ne prohibere quidem potuerit, (Leyser. specim. 302, m. 20.) Paraphernalia consistunt tam in mobilibus, quam in immobilibus; nam sententia Math. Coleri, qui D. 25., paraphernalia in immobilibus consistere posse, negauit, nec communi (Stryk Diss. de Iur. marit. in bona vxor. Cap. 3. §. 3.) nec Patrio Iuri (Reform. P. 3. T. 6. §. 2.) adaequata est. Quorum administratio ac alienatio cum consensu vxoris competebat marito, (L. 8. C. de pact. conuent.) quod requisitum in omni genere paraphernalium, dissentiente quidem Lauterb. de fund. dot. §. 16., locum habere, puto. Consensus tamen expressus non requirebatur, sed sufficebat, si vxor sciret ac sine omni contradictione alienationem fieri pateretur, quod ex Leg. cit. 8. C. de pact. conu. euincitur.

Secundum Ius Patrium.

§. XVI. Haecce Iuris Romani placita maximam in Patria passa sunt mutationem. Incautus enim vsus Iurium peregrinorum Patria atque Romana instituta permiscuit planeque turbauit. (Estor Diss. de Apparatu & instruct. nupt. §. 87.) Interim in eo omnia omnino bona ab vxore illata, si dotem excipis, conueniunt, quod in illa maior potestas vxori in Patria competat, quam marito, vti hoc in Reformat. P. 3. Tit. 6. §. 2. expres-
se



se sancitum. Requiritur tamen, non interrupta societate coniugali, (Reform. P. 3. Tit. 6. §. 4. *Sammung merckwürdig. Rechts-Handel P. I. pag. 41. seq.*) vt consensus mariti adfit. (Reform. P. 2. Tit. 3. §. 12. *sqq.* P. 3. Tit. 6. §. 2. & 4.). Patet exinde I.) sublatam esse differentiam inter paraphernalia bona & receptitia. II.) Vxorem in alienationibus paraphernalium, agere personam principalem, ac III.) potestatem maritalem consistere solummodo in nudo consensu. Quodsi vero limitata haec potestas in propriis adeo bonis locum habet, nec maiorem habebit vxor in iis bonis, quae mediante acquisitione vel conuentione communia sunt. In eo tantum quoad haec ratione consensus alterius coniugis inuenies discrimen, quod ad alienationem horum, scil. communium, bonorum consensus praecise requiratur, vt nullo modo a iudice suppleri possit, quod vero in bonis propriis illatis fieri posse, ex Reformatione (P. 3. Tit. 6. §. 5.) indubitatum est. Quoad hunc tamen textum notandum est, quod eius Sanctio iam in Reform. de 1509. non obscure inueniatur. Ibi enim fol. 26. §. 4. dicitur: wo aber Mann oder Wyb je eins sein Gut verkaufen oder veräußern wölle, soll es zu thum Macht haben, es were dann, daß der ander darwidder redlich Ursach hätte, exclusa deinde in Reformatione media d. 1578. haec verba, iterum interpolata sunt a Dno Syndico Schacher in Edit. nouiss. d. 1611. Maritus igitur fundum proprium alienans, contractum vna cum vxore celebrare, vel saltem mandatum exhibere debet, vti



decisum in *Causa Sigelin Contra Groß* an. 1770. Rationificatione tamen alterius coniugis accedente vel expressa vel tacita, tum ex ea firmatur quoque alienatio. (*Buri Erläut. des deutsch. Lehn-Rechts Tit. 1. p. 592. & ibi all. Mev. ad Lib. 1. Tit. 5. art. 9. Iur. Lub. nr. 17. & 18.*) In ultimo tamen casu facta concludentia adesse debere, res ipsa loquitur.

De Iure mariti circa bona dotalia.


§. XVII. Quoad bona dotalia amice conspiciunt Iura Communia & Patria. Conceditur nempe marito, si soluendo est, (*Reform. P. 3. T. 2. §. 9. Dissent quo ad Ius civile Bachov. & Ludwell ad §. 1. Inst. quib. alien. lic.*) potestas alienandi in mobilibus (*vid. L. 42. ff. de Iur. dot. Reform. Part. 3. Tit. 2. §. 9. & ibi interpolata in Noua Edit. Reform. verba final.*) sine discrimine possintne res seruando seruari, an minus. (*L. 21. ff. de manum. Berger Resolut. ad tit. de fund. dot. quaest. 1. Coccei. in Iur. Controu. ad eund. Tit. quaest. 1. Bachov. ad §. 1. Inst. quib. alien. lic. nr. 3. vbi dissentientis Treutler. Vol. 2. Diss. 7. th. 9. opinionem refellit.*) Immobilium e contrario alienatio est nulla, (*L. vn. C. de R. V. A.*) ob functionem Legis Iuliae de fundo dotali: (*pr. I. quib. alien. lic. vel non L. 2. 6. 13. ff. de Iur. dot.*) quae constitutio, etsi secundum tradita Schilteri ad ff. Ex. 36. th. 95. & 96. Hoppii ad pr. In. quib. alien. lic. Vinnii ad eund. tit. Titi Obs. ad Lauterb. 778. Thomaf. not. ad tit. ff. de fund. dot. *Buri Erläut. des deutsch. Lehn-Rechts Tit. 1. p. 591. fqq. vbi que fere in Germania*

mania abrogata censetur, in Patria tamen expressa Lege (Reform. P. 3. Tit. 2. §. 9.) adeo adoptata, vt ne consensus quidem vxoris aliquid efficere possit.

Requistra, quae ad fundandam Legem Iuliam de fund. dot. necessaria sunt.

§. XIIX. Vt igitur Lex Iulia locum inueniat, requiritur, vt res ad onera matrimonii eo melius ferenda (L. 7. pr. L. 76. ff. de Iur. dot.) data, & maritus dominus factus sit. (L. 13. §. 2. ff. de fund. dot.) Res dotalis igitur & quidem expressa talis adesse debet, nam cum praesumptio quaecunque cesset, si de certa voluntate constat, certe vxor fundum illatum, cuius qualitas dubia, per actum alienationis paraphernalem esse, declarat. Expressa itaque conuentione opus est, quae magis magisque requiritur, cum non sufficiat, fundum esse dotalem, sed de qualitate praeterea constare debet: an aestimato vel inaeestimato sit datus, quod absque expressa conuentione facile fieri nequit. Et si communia Iura non necessario requirant, vt conuentio talis in scripturam redacta sit (§. II.) tamen vix aliter pacta hodie dotalia iniri, docet Stryk (in Caut. Contr. S. III. C. 8. §. 2.) Patrio Iuri hoc consentaneum esse plane indubitatum reddit Reform. P. III. T. 2. §. 9. ibi verba: *einander verschreiben und zubringen*, quae particula *und* iam per se combinationem denotat, ac quod eam significationem vbique sibi asserat per Conclus. Ampliss. Senat. Francofurt. d. 6. Ian. 1739. anteriorem ordinationem d. 15. Sept.

1733.



1733. emendans, decisum est. Maius adhuc robur haec mea sententia per alium textum accipit. In Reformatione nempe (Part. 2. T. 1. §. 10.) expresse requiritur: *in die Ehe zugebracht und zur Zugiftt ver-
schrieben.* Quum autem in Lege nullum vocabulum otiosum esse debeat, (Vultei. Conf. Marb. Vol. 3. C. 21. nr. 173.) sed potius quaelibet expressio ita sit accipienda, vt effectum fortiatur; (Roland. a Valle lib. 3. Conf. 61. nr. 16.) minime dubito, quin expressa conventione litteris mandata secundum Patriae Leges opus sit; quod & analogiae consentaneum: nam cum ad procreandam communionem conventio expressa necessaria sit, (Reform. P. 5. T. 5. §. 7.) certe in casu constituendae dotis eo magis necessaria, quum hic vxori omnis plane dispositio adimatur. Aliud quoque argumentum praebet Reform. (P. 3. T. 2. §. 6.) vbi minutio, quae est species alienationis, tum tantum prohibetur, si instrumenta dotalia confecta sunt. Conf. quoque P. 3. tit. 3. §. 4. Denique Decretum commune Ampliff. Senat. d. 24. Iun. 1734. thesin meam firmat. Agitur ibi de portione statutaria & nr. 2. de rebus illatis alienatis sanciturque expresse, quod tum constitutio locum habere debeat: *wenn kein Testament noch Heuraths-Verschreibung vorhanden. Decret. alleg. in pr. item: wenn auch keine Heuraths-Briefe vorhanden. ib. nr. 1.* Posito igitur casu non existentium pactorum dotalium, locum habet alienatio.

Consi-



Continuatio.

§. XIX. Mirum non est, Leges Patrias in dispositione quoad immobilia expressam dotis conventionem requirere. Constat enim, nullam apud Germanos immobilium alienationem ratam fuisse, nisi praeuia resignatione iudiciali, vti ex inuestitura vtitata probatur. (Heinecc. Elem. Iur. Germ. L. II. §. 24. in in fin. & Not.). Patet isthinc, cur plurimis in locis pactorum dotalium confirmatio iudicialis requiratur, si de immobilibus sermo erat. (Selchov Princ. Iur. Germ. Edit. m. §. 422.). Etsi tamen haec solennitas in Patria mea non sit praescripta, tamen exinde deriuandum videtur, quod scripturam in casu, vbi de dispositione quoad immobilia agit, requirat. Textus Reform. (Part. 3. T. 3. §. 4.) haecce firmat. Dicitur enim ibi expresse: "Wann in den Heuraths - Ver-
"schreibungen der unbeweglichen Güter und wie es damit
"gehalten soll werden, gedacht wird." Obiici hic posset, quod scripturae eam ob causam sit mentio facta, quia ea pro more eius temporis vtitata fuisset. (Reform. P. 3. T. 2. §. 1.) Facile tamen refellitur haecce obiectio, si alias Leges eodem tempore latas, euoluimus, quarum nec vna existit, quae de expressa conventionione loquitur. Exemplum praebent sequentes Textus Reformationis (P. 1. Tit. 49. §. 5. Tit. 50. §. 12. P. 2. T. 19. §. 5. & T. 20. §. 4. P. 3. T. 7. §. 13. & 18. P. 5. T. 6. §. 3. P. 6. T. 5. §. 1.) Nulla hic ratio adferri posset, cur in vnico casu alienationis & quidem geminata vice, conventionis expressae mentio

D

tio



tio fiat, nisi requisitum absolutum efficiat. Decretum insuper Ampliff. Senat. commun. d. 24. Iun. 1734. typis mandatum, etsi hoc tempore confectio pactorum dotalium in scriptis absoluta necessaria haud sit, scripturae expressum facit mentionem, vt supra §. XIII. iam obseruauimus. Dotalis igitur res per expressam conuentionem talis esse debet, si lex Iulia locum sibi vindicare possit.

Aliud requisitum ad fundandam L. L.

§. XX. Secundo requiritur res immobilis, nec tantum ea, quae per se immobilis (Lauterb. Diss. de fund. dot. §. 11.) sed illa quoque, quae per factum hominis (Idem §. 12.) vel per fictionem Iuris (cit. Lauterb. cit. loc. §. 13.) talis est (L. 5. L. 8. L. 13. ff. de fund. dot. vid. quoque Reform. P. 3. T. 3. §. 4. & Decret. saepius cit. Commun. Ampliff. Senat. d. 24. Iun. 1734. nr. 2. ibi: eingebracht liegende Güter und so dasir geachtet.) Quae vero secundum Patriae Leges pro immobilibus habentur ex Reformat. (P. 2. T. 3. §. 3. sqq.) patet, vbi & nomina, quorum dies nondum venit, etsi nullo reali iure munita, illis accensentur, vti hancce sententiam extra omne dubium posuit Celeberr. Orth. ad Paxt. 2. T. 3. §. 1. Reform. pag. 238. sqq.

Quaenam sub prohibita alienatione intelligenda.

§. XXI. Talium rerum immobilium & quidem conuentione expressa dotalium alienatio est prohibita, etiamsi consentiat vxor (Reform. P. 2. t. 1. §. 10. dif-

dissent. Kress. in Specim. Iurisprud. Ciu. pag. 764.) quod adeo verum, vt nec vxor personam agere principalem ac volente marito alienare possit, etsi Berger. in Resolut. tit. ff. ad Sct. Vellei. in fideiussionibus mulierum, cautelam suppeditet, vt nempe vxor principalem ageret personam & maritum accessorie obligari curet, quae tamen cautela iuri communi certo modo, (L. 12. L. 28. ff. ad Sct. Velleii) iuri vero Patrio plane contraria est. (Decret. in Consil. An. &c. L. XXXIII. quod in Ord. Notar. inuenitur pag. 15. & 16.) Lex enim 23. Cod. de Iur. dot. argumentum a contrario sensu haud praebet, vti docuit Brunnem. ad L. all. Alienatio vero hic in sensu latiori, quae omnem omnino sub se mutationem comprehendit, intelligitur, id quod in Patriis quoque Statutis (Reform. P. 3. T. 2. §. 9.) sancitur vbi verba: daß sie dieselben zu verändern und zu veräußern nicht Macht haben sollen, & P. 2. T. 1. §. 10. verb. nicht veräußert noch verhandthieret. Eam ob causam actus per quos dominium transfertur, (L. 1. C. de fund. dot.) vti venditio, permutatio, donatio, in solutum datio, legati datio, &c. prohibiti sunt. Lex quoque Iulia ad praescriptionem, quae in Iure sub nomine alienationis venit (L. 28. de verb. signif.) extenditur. In Leg. porro 16. ff. de fund. dot. L. 12. ff. de Vfuscap. L. 7. §. 5. pro emt. & in omni specie alienationis (L. fin. C. de reb. al. non alien.) locum inuenit, adeo, vt maritus bona dotalia nec oppignorare possit, nec



seruitutes imponere vel remittere. (L. 2. C. de fund. dot.).

An alienatio immobilium marito simpliciter prohibita sit?

§. XXII. Quamuis autem potestas mariti valde limitata atque restricta sit, exceptiones tamen non desunt, quae permittunt, vt consentiente vxore suam exercere possit potestatem. Quas hic adducere scopus Dissertationis omnino exigit. Quodsi verò in dubio, deficientibus nempe in contrarium argumentis fortioribus, eam sententiam amplexus sum, quae alienationem permittit, rationes impulsivas semper allegavi, ne maiorem videar prae me ferre procliuatatem in maritos, quam iustum est. Mouerunt me sequentia argumenta: *a*) in regula cuiuslibet domino permissa est alienatio. (L. 21. C. mand. §. 40. I. d. R. D. L. 2. ff. si a parent. quis manum.) Odiosa exinde Legis Iuliae Sanctio non admittenda, nisi clara dispositio adfit. (L. 14. ff. de Leg. L. 27. C. de testam. Mencken Diss. de reb. extant. vxor. th. 27.) *b*) Iura singularia priuilegiis accensentur (Auth. item Priuileg. C. de haeret. Nou. 109. c. 1.) ideo strictissimae sunt interpretationis, nec ultra casus in legibus expressos extendenda. (L. 2. §. 10. ff. ne quid in loc. publ.) Vbi igitur dos contra Ius commune specialiter priuilegium non accepit, ordo, generali lege constitutus, obseruari debet. (Mev. P. II. D. 116. nr. 7.) Nec obstant Leges, quae alias pro dote iudicandum esse, praecipiunt. (L. 2. ff. de Iur. dot. L. 1. solut. matrim.)
illa-



Illarum enim ratio, ideo & dispositio cessat. (L. 6. §. 2. de iur. patr.). Ratio nimirum *c*) cur tot. tantaque sexui sequiori indulta fuere privilegia, fuerunt diuortia, (Buri Erläut. des deutsch. Lehn- Rechts Tom. 1. pag. 593. Heinecc. Antiqu. Lib. 2. tit. 8. §. 8. sqq.) quorum frequentia teste Seneca (Lib. 3. de Benef. cap. 16.) tanta fuit, vt illustres etiam, nobilesque foeminae, non consulum numero, sed maritorum annos suos computarint. Quae ratio nostris temporibus, vbi non incognita quidem adulteria, rara tamen diuortia, cessat, dispositio igitur illa fauorabilis quoque cessare debet. (L. 15. iunct. 16. ff. de LL.) Regula, quae hinc inde pro dote allegari solet, quod nempe Reipublicae interfit, dotes mulieribus constitui & saluas manere, quo commode maritos inueniant, (Carpz. P. 2. C. 15. d. 21. nr. 8. & C. 39. D. 18. n. 3.) cessat, ideoque & dispositio Legis, (L. 6. §. 2. ff. de Iur. Patr.) *d*) doti nunquam fauendum, vt aliis iniuriam faciamus, (Carpz. P. 1. C. 28. D. 65. nr. 13.) *e*) alienationes a plurimis Doctoribus, adhibito consensu vxoris validae putantur. (Schilt. Ex. 36. th. 95. & 96. Paul. Voet. ad Inst. quib. alien. lic. pr. nr. 7. Sande L. 2. Dec. Tit. 4. Def. 2. Carpz. P. 2. C. 15. Def. 20. & 21.) *f*) Certum est, apud Germanos alienationem quorumuis bonorum vxoriozum validam fuisse. (Schilt. all. 1.) Romana autem Iura non absolute esse recepta, inter omnes constat. (Stryk. in Vf. Mod. proem. §. 37. sqq.)



Limitatio I.

§. XXIII. Prima omnium itaque limitatio est, si de dote quidem conuentum, partium autem conuentio non in scripturam redacta est. Requiritur enim secundum Patria Iura, pacta dotalia in scripturam redacta seu conuentionem expressam ad fundandam Legis Iuliae Sanctionem in §§. XIX. & XIX. iam satis probatum, ad quos breuitatis causa lectorem remitto.


Limitatio II.

§. XXIV. Exceptio secunda est: si utilitas vxoris alienationem postulat quae etiam adest, si damnum aueritur, nec vt damnum pretium ipsum aequet, requiritur. (Zang. L. 3. C. II. n. 145. L. 26. L. 27. ff. de Iur. dot.) Reformatio nostra, quae Sanctioni communi innititur, (P. 3. T. 2. §. 9.) speciem utilitatis adfert, si nempe coniuges pecuniam alibi melius locare possunt, quod & iur. Rom. non incognitum, L. f. §. 1. C. de bon. quae lib. Klock. Conf. 65. T. 2. Lynker T. 2. C. 6. nr. 14. sqq.) quae tamen non est vnica, sed quacuis utilitas sufficit. Vtpote vbicumque versio in rem vxoris ostendi potest, ibi illa obligatur. Eundem effectum habet confessio vxoris iudicialis, quae cum apud Iudicem fateatur, pecuniam pro fundo alienato acceptam, in suam versam esse utilitatem. Dissentiente tamen Gail. L. 2. Obs. 89. nr. 5. Zanger de Except. P. 3. c. II. nr. 135. Aequiparatur enim haec confessio, confessioni in iudicio contentioso factae. (L. 40. §. 1. ff. de pact.) Duae autem hic oriuntur quaestiones. Prior: an illa utilitas, quae quidem intentata, nec vero secuta est, sufficiat? In negotiorum gestione sufficit, si vtiliter ab initio gestum est, nec attenditur, an feliciter in euentum perductum sit negotium, nec ne. (L. 10. §. 1. de Negot. gestion.) Idem statuendum esse non dubito hocce in casu, quo nulla diuersitatis ratio ostendi potest, nam ibi tantum ad initium

tium negotii respiciendum est, ac in ipsa tutelae actione tantum intentio, neutiquam vero euentus spectatur. (L. 3. §. 7. ff. de contr. tut.) Posterior quaestio haec est: an emtori de hac vtilitate speciatim constare debeat? Reformatio (P. III. T. 2. §. 9. ibi: daß sie damit besserer Nutzen zu schaffen wils sein,) scientiam tantum in venditoribus requirit. Cum tamen de securitate emtoris quoque agatur, sollicitum eum esse debere de inferenda vtilitate, consultum puto.

Limitario III.

§. XXV. Tertio excipitur casus necessitatis. (Nou. 46. pr. circa fin. L. 1. ff. de fund. dot.) Omnia enim, quae ea urgente fiunt, sub praecepto de non alienando haud comprehenduntur. (Tuschii Conclus. pract. Lit. A. conclus. 262. nr. 1. & sqq. & Lit. N. Conclus. 18. nr. 1. & 18. Knipschild de fideicommiss. fam. nob. c. 11. nr. 453. sqq. & ibi alleg. textus, rationes & auctoritates.) Tales inter causas numerantur, quando praedium est commune ac ad diuisionem prouocatum fuerit, (L. 2. C. de Iur. Dot. Reform. P. 6. T. 4. §. 4.) quod & ab ipso marito fieri potest, si vltra dotem propriam partem habet. (Text. Ref. all.) Nam de dotali parte id ei non licere, iam supra dictum est. Si maritus de damno infecto non cauit. (L. 1. ff. de Iur. dot. L. 15. §. 20. & 33. de dam. infecto.) Porro virgens aēs alienum, fames, necessitas, alimentatio & similia iis accensentur (L. 5. §. 14. de reb. eor. qui sunt sub tut. Stryk. Caut. Contr. S. 1. c. 3. §. 9. Boehmer. I E P. Lib. 3. tit. 13. §. 31.) Exinde patet, vxorem pretium rei venditae ad alendos liberos, parentes, agnatos, vel ipsum virum destituentem, (L. 73. §. 1. ff. de Iur. dot. L. 20. L. 21. ff. sol. matr.) vel si ad sui ipsius sustentationem pecunia indigeat, valide alienare posse. Haec per se clara sunt. Eo quoque in casu si necessitas adeo magna non sit, quando scilicet vxor pro viro intercedens, ad soluendum debitum obligata fuerit, venditio
ad



ad hunc effectum contracta rata habetur; nam necessitatem summam, quam requirit Leyserus (spec. 311. nr. 14.) tum tantum desidero, si maritum adficiat: secus si vxorem ipsam, tunc enim leuior sufficit. Prono hinc alueo fluit, quod venditio a coniugibus inita, valida sit, si pretium exinde redactum ad liberationem vxoris tendat, nec requiritur secundum opinionem Lynckeri (T. 2. C. 6. nr. 13.) vt creditor vrgeat, nam cursus vsurarum per talem alienationem sistitur, & ideo vtilitas vxoris promouetur. Vbi igitur debitum constat, sine discrimine, sitne reale nec ne, nam de hypotheca in re ipsa constituta, nullum omnino est dubium, (Mencken diss. de reb. extant. vxor. th. 27.) & debitum sit tale, vt vxor Scto Velleiano sese tueri non possit, vti si intercessit pro dote, (L. 41. pr. de Iur. dot. L. 12. L. f. C. ad Sct. Vellei.) Si renunciauit privilegijs legali modo, (Reform. P. 2. T. 16. §. 12. P. 3. T. 7. §. 16.) & quae alia sunt, tunc si tale debitum ex pretio solutum, plane venditio subsistit. Idem de datione in solutum sentiendum esse, nemo dubitabit. Ea enim venditio est, quae fit creditori. Si igitur emtor actionem in virum aequae ac in vxorem habuerit, recte ei in solutum datur. Quum autem ex deductis constet, quod vxor ad soluendum aes alienum obstricta esse debeat, vt alienatio valide fieri possit; sequitur, vt alienatio tum, quum tantum debita adsint talia, ad quorum solutionem haud obligata est vxor, plane inualida sit. Casus adest in debitis, quae Iudaeis debentur, vbi nulla obligatio soluendi (Reform. P. 2. Tit. 12. §. 3. P. 1. T. 30. §. 4. Berord. d. 2. Mart. 1626. vid. quoque sententia in Caus. Berolii viduae contra creditores mariti d. 3. Mart. 1769. nr. 7.) ideoque & nulla alienandi. Inter casus quoque necessitatis refertur, si vxor vel ciuis non est vel iura ciuitatis amisit. (Reform. P. 2. Tit. 1. §. 12. P. 6. T. 6. §. 1. sqq.) Cum enim secundum Priuilegia Caesarea Sigismundi d. 1416. & Maximilianii II. 1570, vti ea in Priuileg. Francofurt. Edit. Nou. pag.




259. & 400. leguntur, nemo nisi ciuis, immobilia possidere possit, & si iuri ciuitatis renunciauit, tradere ea ciui debeat, magna necessitas adest, quae alienationem iubet, quod tamen ad tabernas nundinales haud extendendum, quippe quarum possessio, secundum obseruantiam, forensibus quoque conceditur. (vid. Decret. in Causa Appoltin von Nürnberg Ctra Cred. App.)

Limitatio IV.

§. XXVI. Quarta Limitatio consistit in immobilibus illis, quae aestimato & quidem venditionis gratia in dotem data sunt, non attentis bonis illis, ex quibus satisfieri possit, vti ob L. 30. C. de Iur. dot. minus recte sentit Ludov. in Doctr. ff. de fund. dot. § 2. Quamcunque enim non sufficere aestimationem, si antiqua Iura respicis, res ipsa loquitur; nam quum secundum Leges Romanas aequalitas dotis & donationis propter nuptias adesse debeat, (§. VI.) quae absque taxatione inueniri non poterat, cumque porro species aestimata quidem sed taxationis gratia data, soluto matrimonio restitui debeat, (L. 21. C. de Iur. dot.) indubitatum est, quascunque non tantum res dotales taxationi fuisse obnoxias, sed etiam earum alienationem prohibitam esse marito. Lex igitur, quae de aestimatis rebus locuta est, nullum omnino effectum sortiri potuisset, si quaeuis aestimatio venditionem legitimam efficeret. Illa igitur tantum aestimatio, quae venditionis causa facta, alienationem permittit. (L. 10. ff. solut. matr. L. 10. C. de Iur. dot. L. 5. §. 3. commod. L. 21. C. de Iur. dot. Richter. Dec. 81. n. 13.) Hodie, quum aequalitas dotis ac donationis propter nuptias non requiratur, (Richter de pact. pr. 385. nr. 3, Leyser spec. 305. nr. 5. Cuiac. L. 5. O. 4. Accursus ad auth. aequalitas C. de pact. conuent. Schneidew. ad §. 3. I. de donat. n. 4. & Gail. I. O. 36. nr. 10.) vti hoc Reformatio quoque non obscure disponit, (P. 3. T. 2. §. 2. Dn. Orth.

E

Ana



Ammerf. ad Reform. P. 2. p. 84. fqq.) si fundus aestimatus adest, illum venditionis gratia aestimatum, praesumendum esse docet Zanger de Except. P. 3. c. 11. nr. 83. & Carpz. C. 42. Def. 21. n. 5. fallit tamen hoc in diuisionibus hereditariis, vbi res aestimatur, vt portiones aequales constitui queant: fallit quoque in casu, si taxatio rei per se inest, vt in nominibus; tum qualitatem, quam habuit, retinet. (Reform. P. 3. T. 2. §. 9. dissent. Mev. P. 7. D. 2. nr. 8.)

Limitatio V.

§. XXVII. Quintam exceptionem exhibent Auth. siue a me C. ad Sct. Vellei. & Nou. 61. c. 1. §. 3.) Eo nempe in casu, si vxor in alienationem post biennium iterato consentiat. Verba legum allatarum per argumentum L. 22. C. ad Sct. Vellei. firmatarum, tam clara sunt, vt a sententia Dni Orthii (Ammerf. iur Francff. Reform. P. 2. Tit. 1. §. 10. pag. 96.) Lauterbachii (ad tit. de fund. dot. §. 16. & ibi Cocceii qu. 4. Zanger. P. 3. c. 11. nr. 75.) Bergeri in Resolut. (ad tit. de fund. dot. qu. 3.) ac Bachovii Treutlerum vol. 2. Disp. 7. th. 9. lit. D. corrigentis, contraria, cum pace tanti nominis virorum, abire liceat. Ipse enim textus Auth. ac Nouell. alleg. verbis: & multo potius haec in dote valebunt, L. 3. C. de Rei vind. probat, sancita quoad geminatum consensum ad dotem extendi debere, vt plurimis argumentis euincit Strykius (in Diss. de iur. marit. in bon. vxor. cap. 2. §. 57 fqq. nr. 58. & 59. & Leyserus spec. 311. med. 3. quibus suffragium optimorum Ictorum adstipulatur, Menken (in Diss. de reb. extant. vxor. th. 7. Stephan. ad Nou. alleg. nr. 26. fqq. Brunnem. ad eand. nr. 5. Thomaf. ad L. 2. tit. 8. Inst. Haecce tamen tum tantum locum habent, si vxor maior est & maritus ad inopiam non redigitur. (vid. LL. all.)

Limitatio VI.


§. XXVIII. Exceptio sexta in bonis illis locum habet, quae dotali pecunia emta (D. Orth. Ammerf. ad Reform. P. 2.

T. 1.

T. 1. §. 10. P. 98. Berger. Resolut. tit. ff. de fund. dot. qu. 2. Cocceii I. C. ad Tit eund. qu. 2. Lauterb. Dissl. de fund. dot. §. 27.) Etsi enim Cocceius I. C. tit. de Iur. dot. qu. 7. contendat, talem rem dotalem effici, tamen alienationem harum rerum validam esse, concedit. Reformatio quoque id non obscure sancit. (P. 5. T. 5. si conferre velis §. 4. & 8taum.) Apportata enim vxoris secundum illationis tempus diiudicari debent, vnde mobilia, immobilium naturam neutiquam assumere possunt. (§. XIII.) & ibi all. Decret. Amplif. Senat. comm. typis impress. d. 24. Iun. 1734. n. 2. Illa quoque, quae ex pretio rei dotalis immobilis venditae comparantur, iuste alienari possunt, quia ad fundandam Legem Iuliam requiruntur dotalia pacta, quibus autem fundus emtus non infertus est. Excipias tamen, si nomine vxoris talis fundus emtus, tum enim dotalis est, de quo accipienda L. 27. ff. de Iur. dot. Leyser sp. 304. m. 4. & 5. & Brunnem. ad L. 12. C. de Iur. dot.

Limitatio VII.

§. XXIX. Ius Canonicum septimam suppeditat limitationem. Dicitur enim in cap. 8. X. de Iure iur. & cap. 2. de pact. in 6to quodcunque Iuramentum seruandum esse, nisi in salutis aeternae vergat dispendium. Exinde inferunt Doctores Io. a Sande de prohib. rer. alien. P. 2. c. 10. nr. 8. sqq. Wesemb. ad T. de fund. dot. nr. 6. Ioh. Coppen Obf. 103. nr. 7. Seraphin de Seraphinis de priuil. iurament. Priuileg. 76. ibique not. Stryk. Dissl. de iur. marit. in bon. vxor. c. 2. §. 59. Struben Rechl. Bedenck. 24. Part. 1. quod foemina alienationem iuramentam firmatam oppugnare nequeat. Dissentientem Treutler. Vol. 2. Disp. 7. th. 9. lit. E. refellit Bachov, vid. quoque limitationem, quam addit Stryk in V. M. Tit. de fund. dot. §. 5. Verum autem Iuramentum (Zanger de Except. P. 3. c. 11. nr. 184. sqq.) atque corporale (Hof-



mann T. 11. Conf. 48. nr. 2.) requiritur. Sufficit tamen, si alienatio per se absque vlla renunciatione iuramento firmetur: nam renunciatio etiam sine iuramento valida est; (L. 30. pr. ff. ad Sct. Vell.) quod nec Patriis legibus mutatum, (Notar. Ordn. d. 23. Dec. 1589. §. 6.) & iuramentum tum habet vim specialis renunciationis, L. 77. §. 23. de Leg. 2. Zanger de except. P. 3. c. 11. nr. 212.)

Liminarium VIII.

§. XXX. Octavo cessat prohibitio Legis Iuliae secundum Iura Germanica iis in regionibus, vbi communitio bonorum vniuersalis obtinet. (Stryk V. M. T. de fund. dot. §. 4. Schaumb. ad tit. ff. de fund. dot. §. 4.) Siquidem primarius communitio bonorum effectus in eo consistit: vt confusio bonorum oriatur, adeoque Iura dotis, paraphernalium & quae alias de discrimine bonorum vxiorum Iure Romano sancuntur, cessant. (Selchov. Princip. Iur. Germ. Ed. m. §. 472.) Quin imo vxoris Teutonicae priuilegia adeo restricta fuere, vt aes alienum mariti, etiam quod ante matrimonium contraxerat, soluere debuerit, vt hoc ex Paroemia: *wer dem Mann traut, traut auch den Schulden*, satis constat (vid. Hert. ad hanc paroemiam.) Quod & nunc iis in locis, vbi communitio bonorum viget, vxore scilicet insoluentiae mariti non ignara, constante vsu obseruatur. (Stein de coniug. maris pauperis & foeminae locuplet. §. 39.) Restrictionem huius thesis, quam adducit Mencken (in diss. de reb. extant. vxor. th. 8.) eam ob causam superfluum censeo, quoniam fundamentum eius, quod nempe maritus absque consensu vxoris alienare possit, moribus haud consentaneum est. Quod ceteroquin Patriam meam attinet, in ea quidem communitio bonorum vniuersalis non obtinet, (§. XII.) quoad certas personas autem eam introductam esse, negari nequit. Textus quidem Reformationis (P. 3. T. 1. §. 3. verbis: *die mögen ohne Geding*
Leib

Leib au Leib, Gut an Gut heurathen;) argumentum aliquale praebet, quod omnes, qui matrimonia absque dotalibus partibus ineunt, communioni bonorum ac priuationi priuilegiorum (Selchov. §. all. 472.) se subiecerint; Quum tamen alii textus & obseruantia in contrarium allegari possint, haecce limitatio in Patria locum non habet.

Limitatio IX.

§. XXXI. Ratione certarum personarum ac intuitu negotiationis communio quaedam viget in Patria. (§. anteced.) Nona inde oriatur limitatio. Vxores scilicet opificum (Reform. P. 3. T. 7. §. 20. & P. 5. T. 5. §. 6.) in quorum numerum referuntur aurifices, (Samml. merkhw. Rechts-Händ. P. 4. pag. 811. sqq.) Automatarii (vid. Praejud. viduae Berlii Ctra creditores mariti d. 3. Mart. 1769. & ibi: findet gedachter Wittib als einer Handwerks-Frauen Separations-Gesuch — keine statt 2c. 2c.) Typographi (Ord. Pol. d. 1548. & 1577. Tit. 35. §. 2. ibi: bey Niederlegung ihres Handwerks, vid. Ordn. und Articul der Buchdrucker typ. impress. d. 1660.) Chirurghi, quia iuncta haec professio cum illa tonforum (vid. Medicinal-Ordn. d. 1668. typ. impress. & an. 1686. vbi: Soll keinem Barbier erlaubt seyn das Handwerk zu treiben §. 2. und mögen diese curiren alle Wunden 2c. 2c.) vinitorum quoque mercenariorum, pandocheorum, cauponum ac aliorum vxores. Quae tamen denegatio priuilegiorum locum non habet, si debita ante matrimonium a marito separata contracta. (vid. Praejud. Dehnt Ctra Creditores mariti d. 2. Nov. 1771.) vel socialia non sint (Reform. P. 5. T. 5. §. 6. conf. Praejud. alleg. in Causa Berlischer Wittib Ctra Creditores mariti nr. 5. Samml. merkhw. Rechts-Händ. P. 1. pag. 65.)

§. XXXII. Iudaeorum quoque vxores, tam secundum Ius Commune (Auth. Item priuil. Cod. de haeret. & Manich.

E 3

Nov.




Nou. 109. c. 1. iuncta L. 2. Cod. ne man. christ. & ibi Iudaeus &c. &c. — & alius haereticus) quam obseruantiam in Patria, (vid. Praejud. in Causa Oppenheimers Wittib de 3. Nov. 1686. Goldschmids und Manasses, Jacob Isaacs Eheweiber d. 27. Mart. 1720. Lazari Ehefrau d. 7. Sept. 1731. Heymannin d. 22. Nov. 1768. & Dessauerin d. 24. Nov. 1769.) ab omnibus iis Privilegiis arcentur. Valida igitur alienatio rerum dotialium quasi immobilium; nam immobilia, si dominium utile, quod ex Iure Emphyteuscos competit, excipis, possidere haud possunt. (vid. Priuil. Carol. V. d. 1544. & ibi: weil sie) die Juden (weder liegende Güter u. u. haben dürfen)

§. XXXIII. Ob mercaturam itidem excluditur beneficii vxor, si vel sola (Reform. P. 3. T. 7. §. 16. ibi: ob sie gleich sonst keinen Handel triebe, noch auch an des Mannes Handels Theil hätte, Hering de fideiuss. c. 7. nr. 406. Iqq. Stryk V. M. ad Sct. Vell. §. 6.) vel vna cum marito (Reform. P. 1. Tit. 49. §. 5. P. 2. Tit. 16. §. 12.) eam exercet. Mencken quidem in diss. de reb. extant. vxor. th. 14. casum, vbi vxor extra mercaturam adhuc alia bona habeat, excipit. Quum tamen negotiatio nullam admittat limitationem, quia vxor Senatusconsulto Vellei. & Auth. si qua mul. sese haud tueri possit, certe contractum emtionis venditionis, quem iniit, haud rescindere potest. Vtrum autem communis mercatura, exerceatur, saepe dubium est. Ordinatio nostra cambialis omnibus iniungit sociis, vt sua edant nomina Notario publico, vt in curia mercatorum affigi queant. Ideo exquiri quidem solet, si talis casus existit, quid publicatum fuerit. vid. Decret. Ampliss. Scab. in Causa Vnna mense Octobr. 1772. Neutiquam vero creditoribus praepudicium inferitur, si vel negligentia, vel dolo, hocce requisitum praetermissum est. Quoad coniuges publicatio societatis in vsu non est. Optandum tamen esset, vt mos, quem plurima tenent Germaniae emporia, vti Ham-
bur-

burgum, in Patria quoque obtineat, & cuius vxori declaratio, an participare velit de quaestu maritali, iniungatur. Plurima enim exinde euitari possent litigia, & quaestio, quis probare debeat, quae tot litibus ansam praebuit, facile dirimi posset. Illustris enim D. Orthius (*Samm. merckw. Rechts Händel* P. 5. pag. 1046. sqq.) communionem ex Reform. (P. 3. T. 7. §. 11.) praesumi contendit, & ideo vxori iniungit probationem. Quae sententia, etsi ex Decreto comm. saepiss. iam cit. d. 24. Jun. 1734. nr. 4. ibi: *vermög der unter ihm anstier gewöhnlichen Societatis bonorum coniugalis*, firmetur, tamen vsu fori haud approbatur. Praejudicium enim ibi allegatum insequenti tempore plurimis aliis fulcitur est, vid. Praeud. in causa *Rochin* Contra mariti creditores d. 16. Ian. 1769. & clarissimum illud in *Causa Küssels Wittib* contra creditores mariti d. 7. Sept. 1772. vbi creditoribus expressis verbis probatio iniuncta.

Limitatio X.

§. XXXIV. Decimam limitationem suppeditant Patria Iura. Oppignoratio enim iudicialis, quae peragitur in Cancellaria, praesentibus Dominis Consulibus, (Reform. P. 2. T. 18. §. 2.) secundum Reformationem Part. 3. T. 7. §. 16. praevia renunciatione formali vxorem obligat. Verba ibi: *ihz eigen Haab und Vermögen* de dotalibus fundis intelligenda esse, ex antecedente Titulo 6. patet, vbi secundo §pho paraphernalium alienatio per se iam licita. Extraiudicialis e contra renunciatio, quae sanciente Reform. P. 2. Tit. 16. §. 13. coram Notario & testibus in praesentia consentientium ad minimum duorum agnatorum celebranda est, ius in re tribuere nequit, quia res immobiles iudicialiter tantum oppignorari possunt. (Reform. P. 2. T. 18. §. 2.) Alienatio tamen adiecta, eum, vti supra (§. XXV.) dictum est, sortitur effectum, vt vxor tanquam correa debendi consideranda, quare necessaria causa alienationis inducitur. Nullo modo igitur peccant, qui eiusmodi contractibus, etiam



est per se fideiussiones non sint, clausulas renunciatiuas iungunt.

Limitatio XI.

§. XXXV. Resignatio iudicialis in vernacula: Wehrschafft dicta, vndecimam limitationem producit. Dominis Consulibus enim & Senatoribus incumbit, vt validitatem emtionis explorent, (Reform. P. 2. T. 6. §. 3.) & in specie vt ad ductum Memorialis (Reform. P. 3. T. 6. §. 2.) cuius tenor instructioni consulari inferitur, in qualitatem bonorum inquirant, & quum oppignorationes iudicialiter peractae, quae magis prohibitaee sunt, quam ceterae alienationes, (L. vn. §. 15. C. de R. V. A.) ratae habeantur, (§. praeced.) de venditionibus, quia a maiori ad minus valida trahitur consequentia, (L. 21. & 110. de Reg. Iur.) idem statuendum erit. Nulla quoque exinde oritur differentia, quod oppignoratio ex renunciatione robur accipiat, & ideo ad resignationem iudicalem, vbi cessat renunciatio, argumentum haud duci possit. Quod enim ibi renunciatio, id hic efficit iusiurandum, quod specialis renunciationis loco habetur. Coniuges nempe in vim iuramenti asserere debent, quae onera rei venditae incumbant, quo facto symbolica traditio locum habet. Neutiquam igitur vxor, quae qualitatem dotalem tacuerit, contra praestitum iuramentum admittenda; quod eo magis statuendum, si traditio, quae marito facta fuerat extraiudicialiter, accessit, tum enim alienatio secunda resignatione iudiciali munita, priori extraiudiciali praeferenda, Arg. Reform. P. 3. T. 6. §. 6. iuncto §. 7. & P. 5. t. 5. §. 8. Illustr. D. Orth. Anmerck. ad Reform. P. 2. T. 3. §. 7. pag. 313.

Limitatio XII.

§. XXXVI. Cum resignatio iudicialis, quae per se nihil aliud est, quam confirmatio alienationis rei immobilis praeuia causae cognitione a Iudice facta, talem producat effectum,

vt



vt valeat alienatio; duodecimo loco, de confirmatione iudiciali nuda idem dicendum est, quia ad eum effectum petitur, & praevia recognitione iudiciali peragitur. Iudex itaque & tunc sollicitus esse debet, an pro qualitate bonorum seu personarum alienatio admittenda vel reiicienda sint; unde eo maiorem eius subsequentem confirmationem producere effectum, indubitatum redditur. Auctoribus enim iudicis omnem supplet defectum, ac nullitatis exceptionem excludit, (Ioh. Koppen Dec. 58. n. 10.) adeo vt omnia rite celebrata, praesumantur, Richter Vol. 1. Conf. 25. nr. 6. sqq.) id quod eo magis affirmetur, quia actus generaliter non prohibitus, sed pro varietate circumstantiarum, de quibus an releuantes sint, iudex optime iudicare potest, permittus est. Reform (P. 2. tit. 1. §. 10.) *Ehehaffte Ursachen*, requirit, earumque ponderationem & explorationem officio iudicis relinquit (Reform. P. 2. T. 6. §. 3.) Quare & Dnus Orth. hanc limitationem suo calculo firmat. (Unmerc. ad Reform. P. 2. T. 1. §. 10. pag. 95.) De causa tamen iudici in hoc casu constare debet, licet alias, si partes voluntarie iudicem ad eum pro confirmatione, ille de validitate haud est sollicitus, sed simpliciter confirmat, quatenus de iure valere potest. (Schaumb. P. 1. in prooem. §§. 4. 8. & 17.) In Amplissimo Scabinatu plurimum confirmatio fit verbis: *läßt man es bey dem getroffenen Rauff bewenden*, quae verba secundum stylum curiae confirmationem inducunt, ac eiusdem sunt effectus.


Limitatio XIII.

§. XXXVII. Decimo tertio cessat lex Iulia quoad nomina, quae debitor soluit, (Reform. P. 3. tit. 2. §. 9.) Quod facere potest per se vel per alium. Saepe enim fit, vt Debitorum alium quaerant creditorem, qui eorum nomine debitorum

F

tum





tum soluit. Ultimo hocce in casu etsi cessio adfit, quae alienationis indicium facit, quod debitor per nouum creditorem solui curauerit, vel probatur debitorem adfuisse nouum creditorem, alienatio omnino valida est.

Limitatio XIV.

§. XXXVIII. Decima quarta limitatio in vxore luxuriosa locum habet. (Meister. Diss. Singularia iuris statutarii Lüneburgens. in Materia concursus creditorum. cap. III. §. 21. pag. 53.) Quum enim per eius culpam fiat, quo minus res mariti saluae sint, certe delinquentibus beneficia iuris non profunt: (L. 52. ff. de Re Iud. L. 10. §. 1. ff. de fideiuss.) quod & in Reformatione sancitum, vbi priuilegiorum iuris incapaces, quibus tale vitae genus placuit. (Reform P. 3. T. 7. §. 19.) Et frustra obiicit talis vxor, quod creditores sua cum iactura fiant locupletiores quae sua luxuria ansam creditorum periculo praebuit. (L. 55. ff. de don. int. vir & vx. L. f. §. f. ff. quae in fraud. cred. L. 51. ff. de re Iud.) Vbi autem actionem de dote non habet vxor, ibi valet, alienatio. (L. 3. ff. de fund. dot.)

Limitatio XV.

§. XXXIX. Decima quinta limitatio ex personis dotem repetentibus originem trahit. Sancitur nempe in Nou. 91. pr. expressis verbis: quod priuilegia dotis nemini, nisi vxori & eius liberis (L. 12. vers. exclusis C. qui pot. in pign.) competant. Quum ibi arceantur creditores & heredes, si descendentes excipis, certe alienationem impugnare nequeunt. Nam qui actionem dotis non habet, ad Legem Iuliam prouocare non potest, quod expressis verbis statuitur in L. 3. ff. de fund. dot. quam Brunnemann ad d. L. & Lauterb. in
Diss.

Diff. de fund. dot. §. 46. de vnico casu, si tertius repetat dotem, intelligi volunt. Generalem autem legis dispositionem generales fortiri effectus, res ipsa loquitur. De omnibus igitur casibus, quo referri debet, si vxor ob adulterium priuilegius priuata est, accipiendus tenor generalis legis.

Limitatio XVI.

§. XL. Decima Sexta limitatio dolum vxoris praesupponit. Arg. L. 23. L. 30. pr. ff. L. 5. L. 18. Cod. ad Sct. Vellei. nam deceptis non decipientibus succurrunt Leges. (L. 2. §. 3. ff. ad Sct. Vellei.) Perpetratur hicce dolus, si vxor rem esse suam aut dotalem negauerit (Arg. L. 2. L. 3. C. si min. se mai. dix.) quod & tacite fieri potest, si maritus rem dotalem vt suam alienauit, ac consensit vxor, tum quoque arceatur a vindicatione, (Zanger de except. P. 3. c. 11. §. 40.) bona tamen fides & ignorantia in emtore requiritur. L. 26. ff. de Rei vind. quia alias doli particeps sibi imputare debet, quod praescripta Legis non obseruauerit. (Arg. L. 36. ff. de dot. L. 3. vers. quodli Cod. si minor se mai.)

Limitatio XVII.

§. XLI. Decimo Septimo praescriptionis cursus constante matrimonio non sistitur, si illa ex eo tempore, quo nuptiae nondum contractae, originem suam trahit. (L. 16. ff. de fund. dot.) Constante autem matrimonio nullam omnino praescriptionem inchoari, aequae certum est.

An necessario adhibendi agnati ad validitatem alienationis quoad Patria Iura!

§. XLII. Omnibus hisce in casibus potestatem maritalem consentiente vxore suos habere effectus, non dubito. Quae-
fuo



sio tamen dirimenda venit: an necessario adhibendi sint agnati in Patria, si alienantur res immobiles dotales? Affirmatam tuetur Dnus Lucius Syndicus quondam meritissimus in specimine collat. Iur. Statut. Moeno - Francof. cum civil. th. 20., & sane non desunt rationes, quae pro hacce sua sententia militant. Moribus enim Germanicis in constituenda dote duo adhibiti fuerant agnati, (Tacitus de morib. germ. c. 18. §. 3. vid. & Selchov Elem. Iur. Germ. ed. m. §. 421.) vnde haud mirum esset, si idem sancitum sit, quoad dissolutionem ob L. 35. de Reg Iur.) In renunciationibus mulierum idem numerus requiritur, (Reform. P. 2. T. 16. §. 13.) de similibus autem idem iudicium esse ferendum, claris legibus praecipitur. (§. vn. Inst. de legit. pat. tut. l. 16. ff. de sponsal. L. 6. in fin. ff. de V. S.) Praxis quoque Germanica alienationem rei vxoriae in praesentia fratrum peractam, validam iudicat. (Conf. Tub. Vol. 5. C. 31. nr. 350. & ibi alleg. Carpz. P. 2. C. 15. D. 18. Mynf. 2. Obf. 34.) Ego tamen sententiae contrariae D. Orthii (Ammerf. ad P. 2. T. 1. §. 10. Reform. p. 97.) accedere malo. Textus enim Reformationis de vnico tantum loquitur casu, si debitor soluit, vti verba in singulari numero posita: in welchem Fall &c. hoc probant, ac tum tantum consilium agnatorum requirunt, vbi coniuges pretium ex re vendita redactum impendere volunt.

Continuatio.

§. XLIII. Superfluam tamen adhibitionem agnatorum haud puto. Nam praesumptio exinde non leuis oritur, quod res, etiamsi haud necessario, tamen in vtilitatem vxoris acta sit. Praetermissio enim argumento, quod in praesentia agnatorum non praesumatur aliquid fieri in praerudicium vxoris, (Sel-

(Selchov §. all. 421.) id tantum adferri lubet, quod agnati sint heredes mobiliare vxoris intestato ac sine prole morientis. Interest igitur eorum, nihil fieri, quod iuri hereditario nocere possit. Quot adhibendi sint, lex non determinat, ex analogia igitur statuendum est, ad minimum duos adesse debere, (Reform. P. 2. tit. 16. §. 13.) qui numerus vbique, si in plurali numero sermo est (L. 12. ff. de test.) pro sufficiente, habetur. Quid autem si vnus tantum vel nullus existat! tum vnico illi (Conf. Tub. all. nr. 360.) alius vir honestus, etsi nullo modo coniunctus sit, adiungendus est, quod quoque in casu, quo nullus existit, constante vsu obseruatur, vt praecidium adest in causa Herrn General Hoffmanns Contra von Bachhausen d. 5. Mart. 1770, vbi haecce exceptio reiecta est.

*Interdum quoque per consequentiam alienatio rerum immobilium
valida redditur.*

§. XLIV. De praedictis limitationibus si nulla existit, invalidam esse alienationem res ipsa loquitur. Eum tamen effectum sortitur vt possessio & vsusfructus apud emtorem maneat vsque ad mortem mariti. (Leyf. sp. 311. m. 2.) nisi exinde sustentatio vxoris praestari non posset. (Arg. L. 73. §. 1. ff. de I. D. L. 29. & Auth. Donationem C. de I. Dot.) Non desunt tamen casus, vbi per facta consequentia talis nullitas sanatur. Tum enim, quum maritus dominium, quod constante matrimonio nimis restrictum possidebat, plenum acquisierit, cessat nullitatis exceptio. Marito enim hereditatem vxoris adeunti, haud conceditur potestas, contra proprium factum alienationis agendi. (L. 17. ff. de fund. dot.) Idem statuendum erit, si vxor ob commissum adulterium priuilegio dotis in fauorem innocentis mariti priuatur.



Perpetratio tamen adulterii, nisi actio a marito instituta, haud sufficit. (Stryk Diss. de Iur. vid. Saxon. c. I. §. 101. Berlich P. 4. Concl. 30. nr. 12. sqq. Carpz. Pr. Crim. P. 2. qu. 65. nr. 3.) quia ex silentio remissio praesumitur. Stryk Diss. de Iure putatio cap. VI. §. 13. Institutam autem actionem ad heredes transmitti, etsi ad vindictam spirat, haud dubitandum. Praesumptum quoque adulterium sufficere, non potest negari (L. 34. Cod. ad L. Iul. de adult. & Auth. si quis ei C. d. t. Nou. 117. c. 15. Boehmer Princip. Iur. Canon. §. 430.) quicquid etiam in contrarium statuit Mod. Pistor L. 1. 9. 3. nr. 29. 30. 58. Separatio tamen a thoro & mensa etsi vxor nocens, hanc priuationem non inducit. Boehmer cit. loc. §. 434. Mencken Ius Contr. Dec. 1. Contr. X. dissent Berl. P. 3. Concl. 36. nr. 28. Carpz. Pr. Crim. qu. 18. nr. 71. in Ipdia Consist. l. 2. D. 215.

Continuatio.

§. XLV. Tum quoque si vxor heres mariti est, nullitas venditionis purgatur. Expresse hoc fit, si adeat hereditatem immissionem petendo, tacite vero, si intra triginta dies a morte mariti (Reform. P. 3. T. 7. §. 8. vid. quoque Praejudicia in *Causa der Frau von Darschhausen Contra den von Darschhausischen fideicommiss. Curatorem*) vel a declaratione insoluentiae computandos (Reform. c. l. §. 21.) Separationem non petierit. Tunc enim repraesentat personam defuncti eaque quae ab eo acta sunt, impugnare nequit (*Samml. meckrb. Rechts-Händel T. 1. p. 65. & ibi all. Lauterb.*)

Cui comperat actio ad reuocandam illicitam alienationem!

§. XLVI. Ad efficiendam vero nullitatem alienationis, imploratio Iudicis necessaria est. Si enim alienatio alias ob
ratio-

rationes impugnatur, tum etsi Iudici constet de inualiditate, tamen eam supplere nequit. (Arg. L. 11. C. de Sct. Maced. vid. quoque Hahn ad Wesemb. tit. ff. ad Sct. Vellei. nr. 9.) Quaeritur autem si alienatio adest inualida, cui competat actio, ut ea nulla declaretur? Communis sententia est, eam tam marito, quam vxori competere. (Stryk de Iure mar. in bon. vx c. 2. §. 68. & ibi all.) Ego vero puto, tantum vxori & eius heredibus eam competere, quia non admittendum est, quod marito proprium factum impugnare licitum esset. L. 25. ff. de Adopt. vid. quoque argum. apud Stryk. c. 1. §. 67.) Alienatione autem pro nulla declarata, omnino incumbit vxori, ut ea onera ferat, ad quae ferenda ante alienationem obligata fuerit. Sic si domus ab illa vna cum marito fuerit oppignorata; tunc hypothecam recipere, vel si emitur eam liberavit ei pretium refundere debere, ipsa aequitas docet. Emtor quoque quum in Iure errans simili sit scienti (L. 9. Cod. ad. L. falc.) omnes fructus tam perceptos quam percipiendos restituere tenetur, (L. 22. C. de R. V.) nisi sit Pupillus, minor, miles, foemina & qui alias Leges ignorare potest, quibus e contra impensas deducere, permittitur. (L. 36. §. f. de hered. pet.)

Cautela pro emtore ad illicitam alias hanc alienationem efficiendam validam.

§. XLVII. Cautelam adhuc coronidis loco adferre lubet.
Si nempe alienatio intenditur cui obstaret lex Iulia, emtor
prius



prius pretium rei venditae coniugibus tanquam mutuum dare
& curare debet, ut illa beneficiis suis renunciet. Quo facto
semper adest causa necessaria per quam alienatio sustinetur.
Sed libeli academici limites iam excessit tractatio mea, qua-
re vela contrahenda sunt. Eandem ob causam pars spe-
cialis huius dissertationis, quae de *transactione super bonis uxo-
riis a marito imita* agit, plene a me iam elaborata, in
aliud tempus referuari
debit.



Gel'fen, Diss., 1773

VD 18

ULB Halle
005 356 709

3





1773, 4⁶/₁

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
DE
ALIENATIONE
BONORVM VXORIORVM
PARTIM VALIDA PARTIM INVALIDA
EX IVRE PRAECIPVE FRANCOVRTANO
QVAM
CONSENTIENTE
INCLYTO IVRECONSULTORVM ORDINE
SVB PRAESIDIO

D. I.
SEREN. I.
ACADEMIAE

LOCH
NTIMIS
PRIM.

SVMMO
PV
IO. P

NORES
INI
NIVS

